



~~SM.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-73. ———
SIGNAT. cIbIbCCCXIII.



46

Q. D. B. V.

EXERCITATIO PHILOSOPHICA

De

VERITATIS
UNITATE,

Quam

Adjuvante æternâ Veritate,

In incluta Leucoreâ,

PRÆSIDE

M. NICOLAO POLEMANNO,

Lüneburgensi,

Publica συζητησὶς sistit

CHRISTIANUS GEERS,


Stolpâ Pomeranus,

AUTOR & RESPONDENS,

Ad diem XVI. Januarii, hor. matutinis,

ANNO CIO. IOC. LXVII.

In Auditorio Minori.



Typis MICHAELIS Wendt.



11

THE BRITISH

LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY OF

OXFORD

PRINTED

BY

CHRISTIAN

CLARKE

PRINTERS

AT THE

UNIVERSITY PRESS



I. S. N. J.

Prooemium.

Veritatis speculatio & nobilissima & jucundissima hominis est operatio, teste Philosopho Nicom. l. IO. c. 7. Proinde nihil melius ac se dignius, is, qui Philosophiæ operam navat, prestare potest, quam si & veritatem semper intendat, & diligenter, quid illa sit, inquirit. Veritatis n. investigatio in Philosophiâ theoreticâ quidem rationem finis ultimi obtinet, in practicâ a. ad alium finem ordinatur. Quomodo verò rectè veritatem indagabit, nisi quæ sit ejus natura, probè perspectum habuerit? ut non modo sententiam suam de hac vel illâ re veram esse firmiter noverit, sed omnino etiam, cur vera sit, teneat, & quare adversa opinio, falsa: ut, quibus medius sibi, ne in cognoscendo fallatur, cavere possit, sciat. Imprimis autem accuratè ei dispiciendum venit, unane sit veritas nec ne, quò judicare queat, utrum propositio eadem in aliâ disciplinâ s. Philosophiâ vera, in aliâ vero s. Theologiâ falsa esse possit? cùm si circa illam questionem aberret, non possit non in plura alia errorum precipitia deferri, & in maximam absurditatem, vel etiam impietatem delabi. Gravis certè, quin & periculosa quæstio, inquit B. Meisnerus Philos. Sobr. P. II. p. 936.: Si enim minùs rectè decidatur vel dignitati Philosophicæ vel sublimitati Theologicæ multum detrahetur. Si veritatem duplicabis, contentum Philosophiæ introduces. Sin pro unitate veritatis pugna- bis, adversantes tibi habebis multos Theologos, & mysteria fidei non parùm extenuare videberis. Digna tamen maximè eadem est, quæ accuratius expendatur, cùm Sociniani, fidei nostræ mysteria ex ratio- nis principiis impugnantes, semper illud in ore habeant, & suæ impietati prætendant, nihil esse verum in Philosophiâ, quod falsum sit in Theologiâ. Num alia est veritas Philosophiæ atque Theologiæ? inquit Goslavius tract. contra Keckermannum. Mundum esse ex nihilo conditum Theologicè verum audio, falsum Philosophicè. Sed nugæ; quicquid Scholæ dicunt: ita verum erit & falsum, & contra; contradictionis pars utraq; vera & falsa. Non pudet bonos istos alteri harum nobilissimarum scientiarum tantam ignominie notam inurere. Quapropter operæ pretium nos facturos existimavi- mus, si penitiùs in rem totam inquireremus, & quæ sit ratio veritatis Philosophicæ ostenderemus. Faxit Deus, fons omnis veritatis, ut veri- tatem quam καὶ δόξα μιν sequemur, feliciter assequamur.

MEMBRUM I.

Non dari oppositam Veritatem.

§. 1. Explicaturos propositam de Unitate Veritatis quaestionem, methodo doctrinae nos jubet ante omnia terminos quaestionis dextrè evolvere, ut status controversiae legitimè constituatur. Quantum n. ad notionem veritatis, in confessio est, eam non uno modo capi. Æquivoca vocis acceptio est, quando pro veracitate adhibetur, diciq; solet veritas Ethica, quæ est virtus moralis consistens in convenientiâ sermonis cum corde loquentis. Propriè a. accepta veritas alia est objectiva, quæ & transcendentalis, fundamentalis & in essendo dicitur, quâ omne ens habet essentiam sibi debitam. Alia conformativa s. Logica & in cognoscendo: estq; adæquatio & conformitas rei & intellectus. Atq; hæc vel est incomplexa, quâ rem ut est in suâ essentiâ, simpliciter citra compositionem & divisionem apprehendim; ut quando apprehendimus hominem ut animal rationale: vel complexa, quâ componendo, dividendo & ratiocinando res ipsas cognoscimus, ita ut reverà sunt; qualis veritas est in his enunciationibus; homo est animal, homo non est lapis & in omnibus Syllogismis veris. Deniq; alia est significativa s. in significando, quæ est convenientia signi cum re signatâ, qualis est conformitas orationis cum re per illam significatâ, ut si dicam: Homo est animal rationale. Quæ distinctiones veritatis ad se mutuum involvunt respectum, ita ut veritas in cognoscendo ex veritate in essendo fluat; & significativa istam in cognoscendo præsupponat.

§. 2. Sed non solliciti hîc sumus de Veritate transcendentali, quam unam tantum ratione unius ejusdemq; rei esse, nemo negabit. Est n. hæc veritas attributum entis unitum, a deoq; à parte rei ipsum ens, & tantum à parte conceptus & solâ ratione ratiocinatâ ab eo distinctum, quod probant Metaphysici. Unde, sicut ipsa res una est & unam habet essentiam, non potest non ipsa veritas etiam una esse. Sed dispicimus de veritate in cognoscendo, & per consequens etiam de significativâ, quæ ab illâ pendet, & quidem non tam de incomplexâ quam de complexâ s. integris propositionibus.

§. 3. Non autem in quaestionem venit unane sit veritas ratione diversorum objectorum s. rerum, de quibus habetur veritas. Nemo n. est tam ignarus rerum omnium, qui isto sensu non tantum duplicem aut multiplicem, sed infinitas etiam, (si ita loqui liceat) concedat.

veri-

veritates. Quis enim inficiabitur, infinitas & diversissimas res nobis esse cognoscendas, atq; de iisdem propositiones veras formandas esse? Quo pacto tot dabuntur veritates, quot sunt objecta s. res veræ. Ita veritas alia Theologica, alia Philosophica, Juridica, Medica &c. dici potest, quia res cognoscendæ vel sunt Theologicæ vel Philosophicæ &c.

§. 4. Alio etiam sensu duplicem agnoscimus veritatem, Theologicam nempe & Philosophicam ob diversitatem modi & principii cognoscendi, quod vel supernaturale est vel naturale. Estq; *Theologica veritas illa, quæ ex revelatione divinâ supernaturali, & ex puro principio fidei habetur. Philosophica autem, quæ habetur per lumē naturæ & per sanam s. rectam rationem*, definiente B. Scharfio *theor. transc. disp. 7. §. 79.* Per philosophicam a. non tantum illa veritas venit intelligenda, quæ beneficio rationis & intellectus eruitur, sed & illa, quæ per sensus legitimè dispositos exploratur. Quæ duæ veritates nonnunquam sunt circa unum idemq; objectum, prout idē cognosci potest, vel sub lumine naturali, vel sub lumine gratiæ supernaturalis s. revelationis v. g. Deum esse, eundem esse unum, omnipotentem &c.

§. 5. Sermo igitur nobis est de Veritate unius rei, & quidem ratione oppositionis consideratâ, quod de unâ re eodem respectu non detur duplex veritas: i. e. duæ vel contrariæ vel contradictoriæ propositiones non possint esse simul veræ. Notanter autem addimus de unâ re & eodem respectu. Quærimus n. de contrariis & contradictoriis enunciationibus, an utræq; possint esse veræ; unde liquet omnes condiciones, quæ ad veram oppositionem requiruntur, hîc sumopere attendendas esse, quas recenset Aristoteles *i. Elench. c. V.*; nempe ut idem affirmetur & negetur de eodem *ὁσούτως, κατὰ τὸ αὐτὸ, πρὸς τὸ αὐτὸ, & αὐτῶν γένω*; de quibus videantur Interpretes. Omnis nempe diversitas etiam minima alicujus respectus abesse debet. Quod si non diligentissimè attendas, facile tibi contradictoriam & duplicem finges veritatem, ubi re ipsa una duntaxat est. Sic Philosophus actiones hominis liberas esse adserit, Theologus negat: sed iste loquitur de actionibus civilibus, hic de spiritualibus. Similiter iste omne corpus grave contendit ferri deorsum; hic quoddam grave non ferri deorsum, indice Scripturâ, pronunciat. At isti sermo est de ordine naturæ, huic de concursu causæ primæ.

§. 6. Atq; isto pacto unam non duplicem eamq; oppositam esse veritatem, non indiget operosâ probatione, cum hæc impingat in

istud principium quod simpliciter est primum in humanâ scientiâ: Impossibile est idem simul esse & non esse. Conf. Franz. Svarez. *disp. 3. Met. sect. 3.* Cujus principii veritas demonstrari neq; potest neq; debet. Qui n. vellet illud demonstrare sive ostensivè s. per impossibile, necessariò petiturus esset principium: ostensivè quidem, quia nihil hoc principio notius: vel ergo ex ignotiori vel æq; ignoto demonstraret. Per impossibile vero; quia nullum majus est incommodum hoc ipso: quare aut ad minus aut ad æq; incommodum duceret. *περὶ τὸν δὲ* sive *καὶ ἀνθρώπων* demonstrationem admittit, quod Aristoteli est *ἐλεγκτικῶς ἀποδείξαι*, redarguere. Qui n. redarguit, illi satis est, si ille, quem redarguere conrendit, aliud aliquid habeat pro absurdo, ad quod eum ducat, etsi reverà minus sit absurdum. Cujusmodi redargutiones vide apud Stalium *Reg. Phil. P. 1. reg. 1.*

§. 7. Equidem P. Hurtardus de Mendoza à nullo unquam homine hoc principium fuisse negatum adserit *disp. Met. 3. sect. 3.* præeunte Philosopho, qui *IV. Met. c. 3. 1. 9.* affirmat, fieri non posse, ut idem quisquam esse & nō esse existimet, quemadmodum nonnulli Heraclitum dicere arbitrentur. Reperitus est tn. quidam nostro seculo, qui non ipse tantum, id negare non dubitavit, sed & orbi Christiano persuadere ausus fuit, veritati fidei id esse inimicum. Scribit n. citante Cl. Stalio l. c. Sycophanta ille, qui nomen Christiani Israëlitæ mentitur in libello quodam contra Grauerum *Affert, III. axioma illud naturale, quod duo contradictoria non possint simul esse vera, cum impossibile sit, idem simul esse & non esse, neminem verum Christianum posse agnoscere imò nec debere.* Bellè sanè! Sic n. veræ & sine discrimine admittendæ fuerint omnes hæreses & quævis fanatica dogmata, etiamsi veræ fidei manifestè contradicant. Verum n. verò aut iste homuncio deliravit, aut ei, ex malitiosâ voluntatis pertinaciâ, cui intellectus non potuit non assentiri contradixit: *neg, n. necesse est, ut, que quis dicit, eadem & sentiat,* ait acutè Philosophus loc. proximè cit.

§. 8. Proinde si duæ sese offerant contradictoriæ enunciationes, in diversis licet disciplinis, modò tales re ipsa sint, non a. ita saltem videantur, una certè, tantum alterâ necessariò falsâ, vera esse poterit. Ponamus Theologiam contradicere huic propositioni & principio Philosophico: Ex nihilo nihil fit, per hanc: Ex nihilo aliquid, putà mundus fit: (quod tamen ita non est, cum non opponantur *ὁσάυτως*, sed illa de productione Physicâ hæc de creatione sit intelligenda) impossibile erit utramq; enunciationem esse veram, sed vel hæc, vel ista falsa sit oportebit. *Inter contradicentia n. nihil medium est, sed necesse*

est

est unum de uno affirmare aut negare IV. Met. c. 7. Quæ verò enunciatio-
nes complexu suo plures alias continent atq; expositione egent,
unde exponibiles etiam vocantur, in suas simplices ante resolvendæ
quàm eis contradicant, cùm aliàs utraq; falsa esse possit. E.g. Solus
Pontifex est infallibilis: non solus Pontifex est infallibilis, monente
Corn. Martini *de Analyfi formæ c. 2. & 3.* In propositionibus a. con-
trariis potest usu venire, ut utraq; contrariorum sit falsa, in materiã
nimirum contingenti: quemadmodum utrumq; falsum est, & omnem
hominem esse doctum & nullum esse doctum; utraq; tn. vera esse non
potest, quia sub alterã contrariarum contradictoria etiam tanquam
particularis sub universali, continetur.

MEMBRUM II.

*Verum in Philosophiã falsum in Theologiã esse
non posse, nec vice versã.*

§. 1. Ex hac a. assertione fluit, unam eandemq; propositionem simul
veram & falsam, adeoq; quod verum in unã disciplinã præprimis
Philosophiã in aliã nempe Theologiã falsum esse non posse. Sed
quod semel verè verum est, id nullo loco & tempore nullo & in disci-
plinã nullã potest esse falsum. Verùm & ubique & semper & apud
omnes verum est, manetq; constantissimè: sunt verba B. Meisneri l. c.
Ex adversã namq; opinione sequitur istud omnium absurdissimum,
quod in præcedenti membro profligatum est: duas contradictorias
simul esse veras. Nam si aliqua propositio in Philosophiã est vera, in
Theologiã a. falsa, vera erit in hac propositionis istius contradic-
toria, quemadmodum ex supra dictis patet: atq; sic duæ contradic-
toria veræ. *Ὅτι ἐστὶν ἀδύνατον.*

§. 2. Præterea adversariorum sententia manifestam involvit re-
pugnantiam, adeoq; immediatè in primum principium impingit:
dicit n. rem & orationem eandẽ eodem modo se habentem esse verã
& non esse veram: nempe veram in Philosophiã, non veram in Theo-
logiã. Diversitas a. disciplinarum repugnantiam illam sublevare
nullã ratione potest: veritas n. & falsitas non desumenda à subjecto
s. ab auctoritate aut qualitatibus dicentis, sed ab objecto, & ex eo
quod oratio rei conveniens est vel minùs. *Dicere enim id quod est non
esse, aut quod non est, esse, falsum est; id autem quod est, esse, aut quod non
est, non esse, verum, inquit Aristoteles IV. Met. c. 7. Neg. n. quia nos te pu-
tamus album esse, tu albus es, sed propterea quia tu albus es, nos, qui hoc
dicimus, verum dicimus IX. Met. c. 12. t. 21.*

§. 3. Ac-

§. 3. Atque hinc liquet, quam inepti imò impii fuerint illi, qui olim docuerunt, teste B. Graüero *l. de simplici veritate*, omne id, quod non renatus de Deo & lege ejus dicit, ut si dicat Deum esse justum, sapientem, creatorem cœli & terræ mendacium esse, licet verum sit, cum à renato profertur. Et dic quæso, quisquis es, cum non renatus dicit: Deum esse justum, resne ita sit, nec ne? Negare non potes, nisi Deum per summam blasphemiam injustitiæ velis accusare. Quod si res ita est, sequitur orationem ejus veram esse, quod ab eo, quod res est vel non est, oratio vera vel falsa dicatur.

§. 4. Tertiò absurda est aduersa sententia propterea, quia admissâ illâ, unius ejusdemq; rei duplex etiam admittenda essentia. Cum n. veritas cognitionis & consequenter oratio vera dependeat ab objecto, certè nisi ipsam objecti essentiam duplicem fingas, quod verum est, falsum fieri non potest. Quæro n. an & quare V. g. hæc enunciatio vera sit: Omne animal sentit. Respondebitur veram esse, quia congruit cum re s. objecto, nempe cum naturâ & essentiâ animalis. Finge jam hanc propositionem in aliâ disciplinâ esse falsam: per consequens ejus contradictoria, quæ hæc est; Quoddam animal non sentit, in istâ disciplinâ vera erit. Quare vera autem? ideo quia convenit cum essentia animalis. Atq; sic animal habebit duplicem essentiam, alteram quâ pollet facultate sentiendi, alteram, quâ eadem destituitur: Quod ostendendum.

§. 5. Deniq; ista opinio in Deum gloriosum injuria est, quia ex eâ necessariò sequitur, divinum intellectum, qui à parte rei est ipsa essentia Dei, fore mutabilem. Veritas n. in cognoscendo dependet immediatè à rebus, res a. quatenus veræ, ab intellectu divino, quod vel cognitioni Dei, vel etiam ideæ, quæ est in mente divinâ, respondeant. Sic verum est animal sentire, quia ea est essentia animalis. At v. talis est, quia Deus eam ita esse cognoscit, & congruit cum ideâ animalis in mente divinâ. Sed idem alibi falsum & per consequens ejus contradictorium; animal non sentire verum esse posse ponitur. Verùm ergò erit ideò, quia ea est essentia animalis: est autem talis, quia Deus essentiam animalis ita esse cognoscit, & eadem cum ideâ in mente divinâ convenit. En tibi intellectum divinum mutabilem: quatenus jam convenit cum isto conceptu animalis, quod sit sentiens, & vicissim cum contradictorio conceptu, quod non sit sentiens, congruere fingitur: qui conceptus contradictorii contradictorias etiam ideas in mente divinâ inferunt.

§. 6. Nihil-

§. 6. Nihilominus istam, quam hæcenus absurdam esse evicimus sententiam, quidam amplexi sunt. Ita enim sentiunt novelli Prophetæ & Theosophi in Borhoff c. 3. §. 12. citante Dn. D. Calovio *Syst. t. I. p. 67.* Nec minus sub initium hujus seculi Daniel Hofmannus Theologiæ in Illustri Academiâ Julia Professor asseruit, quod in Philosophiâ verum id sæpe in Theologiâ falsum esse. Præterea Wenc. Schillingius & ejus asseclæ ab ipso Schillingiani dicti hunc errorem foverunt, contra quos masculè depugnavit Jac. Martini in libello Germanico *Bernunfft-Spiegel.* Nec in diversum admodum abeunt, supra §. 3. à nobis citati; ex eorum enim sententia eadem propositio vera cum à renato profertur, falsa cum à non renato, foret.

§. 7. Sociniani eandem opinionem Ecclesiæ nostræ Doctoribus sine discrimine affingere satagunt. Goslavius *Disp. de personâ: Ad hæc,* inquit, *adversarius,* putà Keckermannus, *non inveniet quid respondeat, nisi ad Lutheranos transire ac cum iis duas sibi contrarias veritates, alteram videlicet Philosophicam, alteram verò Theologicam statuere velit.* Conf. Smalzius *disp. 5. contra Franzium p. 165.* Atq; quod magis mirandum Nic. Vedelius Calvinianus in *Rationali suo Theol. P. III. c. 2. p. 342.* omnes ferè etiam celebriores Theologos (Lutheranos) docere criminatur, posse aliquid verum esse in Philosophiâ, quod falsum sit in Theologiâ & contrà. Verum hæc calumnia est, cum notissimum sit, à nostris Ecclesiis reprobatum fuisse errorem Hofmanni, imò ab ipso retractatum, quo de vid. Grav. l. cit. sub finem.

§. 8. Equidem B. Lutherus in *disp. quâdam A. 1539.* habitâ tom. II. Lat. Witteb. f. 413. hanc thesin posuit: *Etsi tenendum est, quod dicitur; omne verum vero consonat, idem tamen non est verum in diversis Professionibus.* At non dicit beata anima, idem in unâ professione esse verum, in alterâ autè falsum: sed idem non esse verum, i. e. quod in unâ professione verum, id verum esse, judicari & demonstrari in diversâ professione, quæ diverso gaudet objecto vel principio cognoscendi, non posse. Hanc ejus mentem fuisse ex subjecto exemplo patet, quando dicit: *In Theologiâ verum est, Verbum esse carnem factum, in Philosophiâ simpliciter impossibile est & absurdum;* non quod contradictionem involvat, ut aliàs *impossibile & absurdum* accipitur, sed, tum quia per sua principia ejus veritatem demonstrare non potest, tum quia naturaliter fieri non potest, rectè naturaliter absurdum & impossibile Philosophia pronuntiat. Si v. absolute
B prorsus

prorsus verba Lutheri accipienda essent, sequeretur, quòd, quia Ethica & Jurisprudencia, quæ diversæ disciplinæ, dicunt: Suum cuiq; tribuendum, etiam istud principium in alterâ harum disciplinarum verum, in alterâ v. falsum esse, quod nemo sanæ mentis dicturus est.

§. 9. Proscribendum ergò omnino è Philosophiâ illud πολυθεύλων: falsum est in Theologiâ verum in Philosophiâ; & vice versâ. *Mensura veritatis sunt res ipse, quæ ut fixæ manent, ita etiam veritas cognoscendi in iis fundata immobilis perstat*, inquit nervosè Dn. D. Carolus Metaph. divinâ p. 344.

MEMBRUM III.

Veritatem Philosophicam non repugnare, veritati Theologica.

§. 1. Ut a. res fiat clarior, restat nobis vindicanda unitas veritatis ab illorum insultibus, qui veritatem Philosophicam repugnare veritati Theologicæ asserunt: quæ controversia cum priori aut eadem aut non multùm diversa est. Si enim veritas Philosophica pugnat cum Theologicâ, idem certè verum & falsum fuerit, verum in Philosophiâ, falsum in Theologiâ. Bene namq; monet B. Meisnerus l. c. duplicem hujus asserti sensum esse posse: *vel quod axiomata Philosophica sint falsa in Theologiâ, vel contrà, quod axiomata Theologica sint falsa in Philosophiâ*. Multa sc. dantur principia Philosophica vera, quæ in mysteria fidei nostræ impingunt, qualia sunt: Ex nihilo nihil fit: Omnis generatio fit cum motu & tempore: ubi est una numero essentia, ibi quoq; est una numero persona &c. Hæc a. principia Philosophica in Theologiâ falsa, & contradictoria illorum in eadem vera esse putant.

§. 2. Nos illud omni contentione negamus, asserentes axiomata s. principia Philosophica conclusionibus Theologicis nequaquam repugnare. Accipimus autem vocabulum Philosophiæ non abusivè, vel pro *Philosophiâ gentilium*, quæ multa falsa & absurda de Deo & rebus divinis continet, vel pro *philosophiâ Scholasticorum*, quæ multis otiosis & ineptis quæstionibus scatet, multaq; quæ Theologiæ repugnant, defendit: sed propriè pro *habitu intellectus principali*, quo ea quæ contemplanda à Deo proponuntur, homo contemplatur, & vitam suam juxta rectæ rationis dictamen & honestatem instituit.

§. 3. Neq; etiam consideratur à nobis ratione ὑπάρξεως s. existentia, vel in concreto, qualis est in certis subjectis, ut si loquamur de Philosophiâ Platonis, Aristotelis, Stoicorum &c. *Philosophia enim non est dicenda*

dicenda Stoica, nec Platonica, aut Epicurea, aut Aristotelica, sed quæcunq; ab his sectis rectè dicta sunt, dicente Clem. Alexandrino l. 1. Stromatum. Neq; negamus, Platonem, Aristotelem, Zenonem & alios Philosophos sæpe contradicere mysteriis fidei. Verùm hoc quicquid est labis non Philosophiæ sed Philosophis adscribendum est, qui non per principia veræ Philosophiæ, sed ut homines lapsi sunt.

§. 4. Multò minùs nobis sermo est de abusu Philosophiæ, cùm axiomatibus quibusdam Philosophicis falsus affingitur sensus & intellectus, vel principia rationis pro lubitu tantùm finguntur, aut cùm Philosophi limites suos transgressi principia sua mysteriis fidei malè applicant, vel hæc istis impugnant, atq; cum non congruunt mutuò, contradictionem sibi fingunt; qui abusus Socinianis familiaris est, de quo conqueritur B. Keslerus in *Pref. Metaph. Photiniana*: *Quam multa, inquit, sunt quæ superciliosè ab his hæreticis pro rectæ rationis principis venditantur; quam multa quæ peregrini sensus larvâ contaminantur, quam multa quæ pravâ applicatione (latiori quam fieri debebat extensione) in abusum trahuntur: quod ipsum in dicto libro multis exemplis confirmavit.* Conferatur & Dn. D. Meisnerus *Consid. Theol. Photin.* Si enim Philosophia accusanda est propter abusum ejus, cur non etiam Theologia, quia & eadem multi abutuntur? neque Philosophia, sed is qui abutitur eâ, pugnat cum Theologiâ.

§. 5. Quibus observatis facile est sententiam nostram confirmare, quamvis ejus veritas ex superioribus satis pateat. Principia enim & axiomata Philosophica, quæcunq; tandem sint, aut congruent rei ipsi aut non. Si congruent, hoc ipso vera erunt, si v. non congruent, ne quidem Philosophica principia erunt, aut naturalibus notitiis accensenda, sed ita tantum videbuntur. Vera a. axiomata conclusionibus Theologicis veris repugnare non possunt, cùm duo contradictoria simul vera esse nequeant.

§. 6. Probamus tamen sententiam nostram, præcipuè ex eo, quia Philosophia non minùs ac Theologia originem suam ad ipsum Deum refert. Præterquam enim quod à quocunq; verum dicitur, illo donante dicatur, qui est ipsa veritas monente S. Augustin. *epist. 28. ad Hieronymum*: sane Philosophia rectæ rationi est superstructa, quæ est participatio divinæ sapientiæ, in suo genere & ordine perfecta, pertinens ad reliquias imaginis divinæ in primavâ creatione homini concessæ; unde cognitio Dei è lumine naturæ acquisita veritas Dei dicitur,

Rom. 1. v. 25. Unde impossibile est, ut Deus per lumen fidei inclinet ad veritatem, & per lumen rationis ad falsitatem, ut inquit Scheiblerus *in mēt. proēm. de Phil. p. 39.* Ipsa enim Dei verba (talìa namq; etiã axiomata Philosophica sunt, quia cum mente divina semper congruunt) quodam respectu forent falsa, id quod de Deo cogitare, nedum dicere blasphemum est.

§. 7. Hinc non potest non amicè eis inter se convenire; imò tantam utilitatem atq; vim habet Philosophia in ipsâ Theologiâ, ut in interpretandâ Scripturâ S. à sensu proprio ad metaphoricum confugiatur, quoties futurum, ut proprietate retentâ, vel quippiam iis, quæ alibi disertè scripta sunt apertè repugnans, vel manifestò absurdum i. e. rectæ rationi evidentissimè contrarium intelligatur. At quid contrarium rationi sit, quid item in universum vel ἀντιφασίς vel ἀντιφασικόν, non ex verbo divino, sed ipsâ Philosophiâ discitur: verbum enim divinum hæc non tradit. Ita Deum membris corporeis præditum esse, adversus Anthromorphitas negamus, quamvis toties ei in S. literis oculi, nares, aures, pedes, aliãq; corporis membra tribuantur; sed ad ἀνθρωπομορφία referimus, quia *Job. 4. v. 24.* disertè dicitur: πνεῦμα ὁ θεός; ast contradictionem in adjecto involvit, Spiritum, si propriè vocem capias, corpore & membris corporeis præditum esse. Corporeum n. & incorporeum opposita sunt. Conf. D. Horneius *diff. IV. Theol. Sect. 1.* Præterea cum Filium Dei ὁμοούσιον Patri esse credimus, ideò quod eum Scriptura S. proprium, verum & unigenitum ejus filium esse testetur, id naturâ notum necessariò supponitur, omnem filium verum, qui non adoptione sed generatione talis est, è naturâ sui Patris productum & ejusdem cum illo essentia esse. Quæ omnia subvertit is, qui Philosophiam Theologiæ repugnare asserit.

§. 8. Præclarè ergò doctissimus Pater S. Augustinus *Epist. VII. ad Marcellinam* scripsit: *Si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non potest. Rursus si manifestissima certaq; rationi velut scripturarum sanctarum objicitur auctoritas, non intelligit, qui hoc facit, & non Scripturarum illarum sensum ad quem penetrare non potuit, sed suum potiùs objicit veritati, nec quod in eis, sed, quod in se ipso velut pro eis invenit, opponit.* Et B. Lutherus *l. de Votis monasticis c. 5.:* *Quod rationi evidenter adversatur, certum est, id multò magis Deo adversari: quomodo enim cælesti*
veris-

veritati non repugnabit, quod terrena veritati repugnat. Hinc Philosophiam sancti Patres eximie commendant, cum primis Greg. Nazianzenus *orat. funebr. in S. Basilium* & *or. 33. in laudem Heronis Philosophi*; S. Augustinus *libb. de doctr. Christ.* & alibi passim; itemq; Maximus Monachus. Clem. Alexandrinus *l. 1. Strom.* vocat eam $\sigma\omega\delta\gamma\mu\acute{o}\nu$ vel avulsam particulam aeternae veritatis & $\theta\epsilon\sigma\gamma\mu\acute{o}\nu$ s. sepem & vallum vineae Domini.

§. 9. Atque ex his veritas nostrae sententiae satis, credo, erit manifesta: cui tamen non pauci contradicunt. Planè autè delirant supracitati novelli Prophetæ, proclamantes Philosophiam *terrenam, animalem, Ethnicam, Diabolicam, impuram Jesabel*. Ita n. damnanda & exterminanda foret, & ex se contraheret sui cultoribus aeternam damnationem, (cùm tamen illam ipse Spiritus S. commendet & veritatem Dei appellet;) quod auditu horrendum. Falsa erunt omnia principia Philosophica, inter quæ sunt hæc: Deum esse colendum, suum cuiq; tributandum, Parentes esse honorandos; quod impium.

§. 10. Præterea etiam Schillingiani & ipse Hofmānus initio diversum à nobis senserunt. Verba Hofmāni *in præf. thesibus de Deo præmissa*, quibus mentem suam proponit, hæc sunt: *Quanto magis excolitur ratio humana Philosophicis studiis, tantò armatior prodit, & quò se ipsam amat impensius, eò Theologiam invadit atrocius, & errores pingit speciosius, unde Paulus Col. 2. Philosophiam depradantem discipulos Apostolorum cognoscit, & Gal. 5. inter opera carnis rejicit hereses, quod primitiva Ecclesia per experientias edocta sic explicavit, Philosophos esse Hereticorum Patriarchas.* Sociniani etiam hanc sententiam nostris Ecclesiis affingunt: Sic enim Smalzius *disp. post. §. p. 421.* *Ut parva lux magna, sic ratio doctrine Evangelicæ contraria esse nequit. Crassa hæc est plerorumq; ignorantia, cujus jam tempus esset, ut eos puderet in tantâ veritatis luce.* Sed hanc calumniam esse, & vel ex pravè intellectis vel in alienum sensum detortis verbis orthodoxorum Theologorum, qui ipsorum impietatem redarguunt, ortam, scripta nostratum docent.

§. 11. Aliquantum verò etiam isti à nobis dissentiunt, qui cum Schrödero *contra Grauerum de pugna Philosophiæ & Theologiæ* & *tract. de princ. Theol. l. 2. sect. 2. §.* Paulo Slevogto *in pervigil. de Dissid. Theol. & Phil.* & aliis asserunt, Philosophiam non quidem ex toto & simpliciter, sed ex parte tamen & secundum quid Theologiæ repugnare: & de facto aliter fieri non posse, quam ut ratio non renati, id est sibi relicta,



conclusiones Theologicas pro falsis habeat, quia ex suis principiis de iis iudicans, si eas ab his dissonas deprehendat, in absurditatum & deliriorum numero habeat. Totum n. hoc quicquid est, non Philosophiæ sed Philosophis tribuendum, qui malè principiis Philosophicis utuntur. Hoc namq; tentare non rectæ rationis inceptum est, sed errantis & malè ratiocinantis: quia recta ratio intelligit se non posse de mysteriis & rebus divinis iudicium ferre, propterea quod in naturâ non sint ulla principia, quæ directè ostendant, in his rebus non esse repugnantiam, nec etiam sint aliqua, quæ sufficienter repugnantiam ostendant: sicut docet Suarez *disp. Met. 30. Sect. 17. n. 29*. Hinc Aristoteles ipse Ethnicus de rebus divinis etiam ut naturaliter innotescere quodammodo possunt, pronunciat, non secus in iis rationem cœcutire, ac vespertilionum oculi ad diei lucem.

§. 12. In contrarium autem urgent Adversarii, quædam Scripturæ dicta: *Rom. I. v. 21. & Col. II. v. 8.* cui subijciunt quædam Patrum iudicia: ut quod Tertullianus *l. advers. Hermogenem c. 8. & de animâ c. 3.* Philosophos vocet, *hereticorum Patriarchas & Patronos.* Conf. Irenæus *l. 2. adv. heres. c. 37.* & Hieronymus *epist. ad Ctesiph. t. 2. oper. p. 251.* At quod Scripturæ locum priorem attinet, is nostræ sententiæ maximè favet; docet n. Apostolus, quod per Philosophiam s. considerationem creaturarû Deum agnoscere potuerint gentiles, sed gloriam Dei incorruptibilis in imaginem creaturarum corruptibilium transmutarint. In altero autem satis se explicat Paulus, addens per *inane deceptionem*, quod Philosophiam deceptricem vel inanis deceptionis, non veram & germanam, è principiis naturalibus & rectæ rationis luce exstructam, intelligat. Patres a. citati abusum saltem Philosophiæ & gentilium Philosophorum absurda commenta redarguunt. Vid. Dn. D. Calovius *Syst. Theol. tom. I. p. 72. f.*

§. 13. Urgent præterea maximè, quod mysteria quædam fidei repugnent principiis Philosophicis s. rectæ rationis, qualia sunt mysterium S. Trinitatis, quod repugnat isti principio: *Ubi una numero essentia, ibi una etiam numero persona.* Incarnationis, huic: *Due complete nature in uno supposito esse nequeunt;* Resurrectionis, illi: *A privatione ad habitum non datur regressus,* ex quibus omnibus Philosophiam cum Theologiâ pugnare conantur evincere. Verùm adducta & similia axiomata Philosophica non verè contradicunt conclusionibus Theologicis, sed tantum apparenter; quia vel non loquuntur

de

de eodem subjecto, vel non eundem statum aut modum & respectum concernunt.

§. 14 Enimverò accuratè hîc discernenda sunt principia, momente Dn. D. Calovio *l.c. p. 373*. Alia enim sunt *generalia* & transcendentalia, alia *specialia*. Illa sunt, quæ constituuntur in abstractione entis; atq; ista universalia censenda non sunt, nisi fuerint inductione omnium singularium, quæ sunt vel naturalia vel mystica, confirmata, & intuitu tum revelationis Scripturæ, tum representationis naturæ constituta. vid. Dn. D. Calov. *Pref. Metaph. div.* Ita v. g. istud principium: Proprium unius naturæ non potest communicari alteri; sic accipiendum & explicandum, prout id non tantum requirunt ea quæ in naturâ conspiciuntur, verum etiam ista quæ in Scripturâ revelantur. Si enim reperitur quicquam in S. Scriptura alicui naturæ proprium, quod tamen certo respectu alteri communicatum legitur, principium istud ita ampliandum, ut salvâ veritate Scripturæ subsistere possit.

§. 15. Specialia autem principia quæ de determinato objecto aliquid vel affirmant vel negant, de illo solum objecto vera sunt, de quo enunciuntur, ut sunt axiomata Physica, quæ non sunt ultra ordinem naturæ ad sublimius hemisphærium, extra vel supra naturam extendenda. Aliàs enim res sublimiores & in eminentiori statu constitutæ ineptè estimantur ex conditione rerum naturalium, atq; sæpe numero disertis oraculis Scripturæ impiè contradicuntur. Tale est principium: A privatione ad habitum, non datur regressus; quod de regressu naturali loquitur, non autem ad potentiam Dei absolutam est rapiendum. *Nam si quid Philosophia affirmat vel negat, id de iis materiis intelligenda est affirmasse vel negasse, quas ipsa tractat, & eâ limitatione, quatenus ipsa tractat, non autem de iis rebus quas tractat, & quatenus de iis tractat Theologia, inquit Keckermannus in Præcogn. Logicæ. Atque adeò semper & Theologicè & Philosophicè verum est, virginem virtute naturali non posse parere filium: & iterum & Theologicè & Philosophicè verum est, fieri posse ut virgo virtute divinâ filium pariat, ut loquitur B. Jac. Martini in Exerc. Met. l. 1. Exerc. 5. th. 6.*

§. 16. Præprimis verò etiam atque etiam dispiciendum est: an principia Philosophica tam generalia quam specialia sint absolutè & simpliciter, an v. secundum quid & Physicè tantum necessaria. Illa autem demum propositio absolutè necessaria est, cujus oppositum

fitum sole clariorem involvit contradictionem; sicuti hæc propositio: Quicquid currit, movetur est absolutè necessaria, cum oppositum ejus, nimirum; quoddam currens non movetur, sole clariorem contradictionem involvat. Dico autem sole clariorem, quia sæpe sibi fingit intellectus contradictionem, ubi nulla est. Implicare enim contradictionem est negare & evertere essentiam, adeoq; illa tantum verè implicat contradictionem, quæ cum ipsâ naturâ & essentiâ rei pugnant: unde evidenter & apodicticè demonstrari nequit, aliquam propositionem implicare contradictionem, nisi plena & perfectâ cognitio illius rei, cum cujus naturâ pugnare dicitur prædicatum antecedit. Non enim omnium rerum creatarum, multo minus Dei essentiam planè & perfectè cognitam habemus, ut quid unicuiq; repugnet vel minùs, semper tutò possumus asserere. Ita hoc principium: Ubi una numero essentia est, ibi oportet unam numero personam esse; non est propositio absolutè necessaria, cum evidenter monstrari non possit, istius oppositum: aliquam nimirum (infinite Dei) essentiam esse in pluribus personis, contradictionem manifestam implicare, cum divina essentia humanæ rationi impenetrabilis sit. Propositionibus tamen istis quæ verè necessariae sunt absolutè, nulla conclusio Theologica repugnat: quia non secundum quid sed simpliciter veræ sunt: quæ autem tales non sunt, ultra suos limites non sunt extendendæ, nec pro absolutè universalibus venditandæ: sic omnis exspirabit, quæ videbatur esse repugnantia.

§.17. Quamvis igitur S. Scriptura & mysteria fidei nihil in universum contineant, quod rectæ & manifestæ rationi contrarium sit, nec hæc, quod illis; neutiquam tamen lumen rationis in ipsâ mysteriorum & articulorum fidei, qui quidem propriè tales sunt, veritate cognoscendâ aliquid potest, quin plerumq; nec an possibilia sint assequitur, imò sæpe pro impossibilibus habet: at quod impossibile apparet, id contrarium etiam & ἀντιθετικόν rationi videtur. Quare ita naturale rationis iudicium attendendum est, ut tamen propterea mysteria ipsa ei neutiquam subjiciantur. Ut enim diversa hæc sunt & ex diversis principiis innotescunt, ita diversum etiam de utrisq; & à diversis principiis pendens est iudicium. Cavendumq; maximè est, ne cum Socinianis ratio nostra iudex in sumis fidei mysteriis constituitur: quod nostri nec instituti nec ingenii est diducere, sed ad Theologorum forum remittimus.


SOLI DEO GLORIA.

Ung VI 73

ULB Halle 3
004 108 515





Farbkarte #13

B.I.G.

46

PHILOSOPHICA

ATIS TE,

Veritate
oreâ,

LEMANNNO,
fi,

sistit
S GEERS,
nus,
NDENS,

hor. matutinis,
LXVII.

ori.
✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠
s Wendt.